

**De fracto corpore humeri : theses anatomico-chirurgicae, quas, Deo juvante & praeside M. Carolo Devilliers ... / tueri conabitur Ludovicus Girard.**

### **Contributors**

Girard, Louis.  
Devilliers, Charles.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Parisiis : Typis Lambert, 1782.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/krijmzeca>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

11.  
D E

FRACTO CORPORE HUMERI

*T H E S E S*

ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

*QUAS, Deo juvante & Præsidi M. CAROLO  
DEVILLIERS, Scholarum Moderatore, tueri  
conabitur LUDOVICUS GIRARD, Parisiensis,  
Artium Liberalium præclaræ Universitatis Parisiensis  
Magister, & AUGUSTISSIMI PRINCIPIS ATRE-  
BATUM COMITIS, FRATRIS REGIS, Chirurgus  
trimestris.*

*Die 24<sup>a</sup> Augusti, anno Salutis 1782, à sesqui-secundâ  
post meridiem ad septimam.*

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,  
PRO ACTU PUBLICO  
ET  
SOLEMNI COOPTATIONE.



*P A R I S I I S,*

Typis LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii necnon Academiæ  
Typographi, viâ Cithareâ.

---

*M D C C L X X I I.*



FRAGTO CORPORE HUMERI

T H E S I S

ANATOMICO-CHIRURGICA,

Quas, Deo juvante, & Praeside M. CAROLO  
DAVILLIERS, Scholae Scholae Moderator, nec  
consensu LUDOVICI GIRARD, Praesidis,  
Anni Liberae praeside Universitatis Parisiensis  
Magistri, & Augustissimi Principis AUSTRIAE  
MAYORIS COMITIS, TARTARIS RACIS, Chirurgus  
sumptibus.

Die 24. Augusti, anno salutis 1782, à festo-secundis  
post mensis ad Augustum.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,  
PRO ACTU PUBLICO  
ET  
SOLEMNI COOPTATIONE.



P A R I S I S,


J. LAURENT, Regii Chirurgi Collegii necnon Academiæ  
Chirurgicæ Parisiensis, Typographus.

M D C C L X X I I






D. O. M.



DE

FRACTO CORPORE HUMERI.



THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

**O**SSA, etsi cæteris partibus microcosmi solidiora, plurimis tamen morbis obnoxia sunt; queis solutâ eorum integritate, solvuntur etiam, aut quàm maximè læduntur variæ functiones partium quibus fulcrum erant. Sic quidem evenit de Humeri fracturâ, de quâ privatim dicturi sumus in hoc Programmate; præmissis ex Anatomicâ quæcumque ad hanc quæstionem nobis spectare videntur.

A ij



# EX ANATOMIA.

## I.

**BRACHIUM** pars ea est quæ scapulam & cubiti flexuram intercedit. Conflatur ex unico osse, multis musculis, nervis & vasis sanguiferis, necnon variis membranis & ligamentis, quæ omnia multiplici textu cellulari adjecta, tegumentis communibus involvuntur.

## II.

**HUMERUS** vocatur os illud teres, brachii fulcimentum, quod cum scapulâ & ossibus cubiti connectitur. Substantia ejus, eadem ac in aliis ossibus teretibus, triplex occurrit; compacta scilicet, reticularis & spongiosa. In corpus & extrema dividitur.

## III.

**CORPUS** intus excavatum, ob medullam in ipso contentam, extus non eandem figuram refert. In ipso quidem distingui possunt duæ partes; una nempe superior, ferè cylindrica, plurimis asperitatibus hirsuta; alia inferior, tota levis, ad triangularem formam accedens, in quâ proindè tres facies, & totidem anguli conspici possunt.

## IV.

**EX** extremis **Humeri** aliud superius, aliud inferius est. Superius rotundum & inferiore crassius est. Tres in eo partes præcipuæ considerantur; una nempe interna & duabus aliis excellior, instar trientis sphaeræ, caput **Humeri**. Alia-externa, rudis, quæ a fulco quodam visibili dividitur in duas partes, quarum una major & exterior triplici facieculâ, alia verò minor & anterior, unicâ tantum complanatur. Tertia tandem istis intermedia, quam collum dixerunt.

## V.

**INFERIUS** extremum **Humeri** superiore tenuius & complanatus est. Conformatur adinstar duplicis trochleæ. In eo distinguenda sunt. 1°. Duo fulci triaque capitula, quorum ope cum ossibus cubiti convenit **Humerus**. 2°. Duæ cavitates, quarum



posterior Olecranium, & anterior Apophysem coronoidem, ulnæ processus, excipit. 3<sup>o</sup>. Duo tubercula sive condyli, quorum internus eminentior flexoribus, externus verò minor extensoribus carpi musculis insertionem præbet. 4<sup>o</sup>. Duæ etiam lineæ, quæ spinæ seu cristæ dicuntur, ex utroque condylo ad mediam usque partem faciei posterioris Humeri decurrentes.

## V I.

JUXTA condylos & lineas ex eis prodeuntes, necnon circa partes quas collum & tubercula diximus, variæ deprehenduntur parvulæ rimæ & asperitates, quibus inhærent membranæ & ligamenta utriusque articulationis. Inibi etiam sat manifestè patent plurima foraminula, quæ permeant nervi & vasa sanguifera, ad ossis & medullæ nutrimentum.

## V I I.

SIC disposita videtur ossea congeries Humeri, ut ipse contortus appareat in medio suû corporis, & ejus extremitates in inverso sensu converti dicerentur. Id etiam quoad perfectissimam illius ossis fracti conformationem restituendam sedulò animadvertendum est, quòd sic inter se adversentur eadem extremitates, ut condylus internus medio capitis, & externus summo magni tuberculi directè submittatur.

Super Humerum expanduntur musculi *deltoïdes*, *biceps*, *coracobrachialis*, *triplex extensor*, & *brachialis internus*. In ipso tantùm inseruntur, *magnus Pectoralis*, *latissimus dorsi*, *teres major*, *suprà spinatus*, *infra spinatus*, *teres minor* & *sub scapularis*. His etiam addi possunt *supinatores longus* & *brevis*, *pronator rotundus*, *parvus Anconæus*, necnon *flexores* & *extensores carpi*; isti verò nihil, aut parum faciunt quoad fracturam de qua nunc est.

## V I I I.

NERVOS & vasa sanguifera toti Brachio suppeditat truncus axillaris, ex quo orditur arteria Brachialis ad latus internum, & partem usquè humeri propè inferiorem prorepens, unde fit anterior ut cubiti flexuram ineat.



# EX CHIRURGIA.

## I.

**HUMERUS** gracilior est in media corporis sui partē, & in inferiori complanator. Nec mirum indè si faciliùs & frequentius ibi frangatur. Tot tamen in partibus fracturam experiri potest quot in omni ejus longitudine dantur. Hic verò, paginæ brevitatis causâ, non agitur nisi de illa quæ fit in ipso ejus corpore. Ad hoc autem nobis sufficiat exposuisse hujus morbi causas, species, accidentia, diagnosim, prognosim, & curationem.

## I I.

**CAUSÆ** vel internæ sunt vel externæ.

Internæ nonnisi tanquam prædisponentes habentur, sicque sunt caries in osse, siccitas ejus, mollities, intumescencia, &c.

Externæ verè sunt efficientes; veluti, lapsus, ictus, violenti nisus, & impulsio corporum e sclopetis.

## I I I.

**DIFFERENTIÆ** recenseri possunt quoad situm, formam, essentiam, & extremitatum fracturarum dimotionem.

1°. In parte media, superiore vel inferiore, frangi potest Humeri corpus.

2°. Hoc fit transversim vel oblique, vel in modum unguis aut tibiæ rostri, vel frustillatim.

3°. Simplex, sive composita, sive complicata dicitur. Simplex, si sola reperiatur, & nihil obstet ejus coalitioni. Composita, si duobus aut pluribus in locis osse fracto, nihil impediat quin coadunetur & coalescat. Complicata si ejusdem coalitioni datur obstaculum quodlibet sit. Hæc autem fractura ab ipsamet ejus causâ & corporibus extraneis cum illâ propulsis, vel aliquo morbo, vel accidentibus complicari potest.

4°. Aliquoties transversim ita frangitur Humeri corpus, ut nulla sit partium ejus dimotio, sæpè sæpiùs tamen illæ partes a se invicem disturbantur; idquè secundum ossis spissitudinem vel longitudinem.



**ACCIDENTIA** in primitiva, subsecutiva, & remotiora distinguuntur. Ad prima referuntur partis deformitas, impossibilitas ad motum, dolor, hemorrhagia, aliaque. Ad secunda doloris perseverantia, aut ipsius incrementum, febris, motus convulsivi, convulsiones, partis inflammatio, ingurgitatio, gangræna. Ad tertia tandem membri deformitas, contortio scilicet, elongatio, contractio, vel curvatura, callus exuperans, succi ossei diffusio, partium mollium compressio vel prava cohærentia, unde motus musculorum plus aut minus in posterum coercetur. Quandoque etiam nulla fit partium fractarum coalitio.

## V.

**DIAGNOSIS** visu & tactu suscipitur. Nec quidem signis dubiis; vel enim cute abscissâ per eam excedunt ossis fragmenta, aut tanta est partium fractarum dimotio, ut ipsismet oculis manifestè pateat; vel manibus facilè deflectitur os ruptum, & digitis vel auditu perferitur crepitatio.

## V I.

**PROGNOSIS** pro variâ specie differt. Complicata enim fractura compositâ deterior, & hæc simplice pejor. Quò plus etiam vicina sedet ossis extremitatibus, eò majoris est discriminis. Desumitur quoque prognosis ab humorum crassi, ægrotantis ætate vel habitu, lapsu temporis, anni temperie & aliis circumstantiis.

## V I I.

**CURATIO** in eo consistit quod debellatis accidentibus, partes fractæ in situ naturali repositæ, in illo contineantur & coalescant.

## V I I I.

**TRIBUS** præsertim mediis perficitur repositio; extensione scilicet, contra extensionem & coadunatione. De modo extensionem & contra extensionem peragendi nihil nisi vivâ voce dicemus. De his tantùm hîc adnotare liceat, quòd utraque semper celebranda sit in ossis loco a fractura remotiori, sensim sine sensu, multaque cum prudentiâ, cavendo ne partes molles ossis asperitatibus dilacerentur, vel nimium lædantur.



**ETSI** non difficilis ut plurimum fiat partium reductio, non ideò semper facilis obtinetur earundem perfecta coadunatio. Dum enim pars valde tumescit, vel pinguedine crassior habetur, tunc ægrè perferitur os ipsum, & an aptè juxtà ponantur ejus fragmenta difficiliùs judicari potest. Sedulò igitur attendendum ad ossis naturalem conformationem & partium ejus peculiarem situm, ut exindè perfectior effici possit coadunatio. Quæ quidem nullo ferè cum negotio subveniet, si habità ratione longitudinis Humeri, condyli ejus revocantur ad respectum quem ipsis cum capite & magno tuberculo assignavimus.

## X.

**PERACTA** coadunatione partes contineri debent idoneâ deligatione. In Humeri fracturis simplicibus ut plurimum convenit illa quæ constat spleniis, ferulis & fasciis, super impositâ mitellâ. At in complicatis satiùs est apponere fasciam octodecim capitum vel libri formem, aut aliam a Sculteto commendatam. Quâ quidem membrum omne ita contineatur, ut nullibi detur ingurgitationi locus.

## X I.

**QUANTUM** autem temporis sic revinctum remanere debeat Brachium, ab ægrotantis statu vel ætate, specie fracturæ, & accidentibus deduces; nulla enim ratio de illius mensura datur, nisi illa per quam callus satis invaluerit. Hoc quidem plerumquè perficitur, quoad fracturas simplices & compositas, intrâ quadraginta vel quinquaginta dies, tardiùs verò quoad complicatas.

## X I I.

**HUMERI** corporis, sicut & aliorum ossium consolidatio nulli artis molimini debetur. In hoc tantùm versatur Chirurgia, ut quàm aptè & sat diù contentis fragmentis, idoneâ tùm medicamentorum, tùm victûs ratione, penitùs arceantur obstacula; naturaque possit ergà eam muneribus suis opportunè & placidè fungi.

## F I N I S.